



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE***GRATUM FUIT*BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO  
«NUESTRA SEÑORA DE ITATI»

PATRONA PRINCIPALIS, S. THOMAE APOSTOLUS PATRONUS

SECUNDARIUS CONFIRMATUR DIOECESIS S. THOMAE IN ARGENTINA Ad perpetuam rei memoriam. – Gratum fuit gratumque semper erat quidquid honori beatæ Mariæ Virginis, Christi Matris, cedit; quæ non solum hominibus adorandum Filium dedit, atque per illum æternam salutem, sed et Mater nostra est, et exemplum, et patrona in hoc terrestri itinere ad caelum. Simile quid autem de Sanctis affirmamus, amatis Deo caris, maxime si Apostoli sint. Qua re cum Venerabilis Frater Carolus E. Cremata, Episcopus S. Thomae in Argentina, electionem B.M.V. in Patronam Principalem suae dioecesis, S. Thomae Apostoli vero in Patronum secundarium a populo factam rite probaverit; idemque a Nobis petierit ut hanc electionem et adprobationem ad normam «Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmaremus, Nos, cum constet electionem atque adprobationem hanc ad auras praescriptum peractam esse, id probantes quæ S. Congregano pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuerit, factis a Nobis olim facultatibus, B.M.V. sub titulo vulgari sermone «Nuestra Señora de Itatí» Patronam principalem, atque S. Thomam Apostolum Patronum secundarium confirmamus apud Deum dioecesis S. Thomae in Argentina, factis nempe iuribus atque privilegiis liturgicis hanc dignitatem consequentibus. Contrariis nihil obstantibus. Ceterum confidimus ut B.M.V. atque S. Apostoli intercessione, in quos populus tanta religione fertur, crescat fides in pectoribus in altissimi Dei gloriam. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.*AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana